

Lavantinske škofije

uradni list.

Vsebina: 13. Zahvala svetega očeta Pija XI. za zbirko v prid katoliškim misijonom. — 14. Zahvala svetega očeta Pija XI. za božični in novoletni pozdrav ter za Petrov novčič. — 15. Pontificia Commissio ad Codicis canones authenticos interpretandos. Solutio dubiorum. — 16. Škofijske takse.

13.

Zahvala svetega očeta Pija XI. za zbirko v prid katoliškim misijonom.

V uradnem listu Lavantinske škofije za leto 1922, št. XII. odst. 53. je bil objavljen „izkaz cerkvene zbirke v prid katoliškim misijonom“. V dopolnitev tega izkaza se priobči še na gospoda kapiteljskega vikarja naslovljeno pismo iz Rima z dne 16. decembra 1922 št. 11.460. Glasi se tako-le:

Segreteria di stato di Sua Santità
No. 11.460.

Dal Vaticano, die 16. Decembris 1922.

Illustrissime ac Reverendissime Domine!

Quo studio caleant isti boni fideles divini regni per terrarum orbem amplificandi, ex eo quoque perspicere licet quod nuper Te quidem cum clero hortante, pecuniae vim Din. 8.600 pro sacris missionibus, per istam Legationem Apostolicam, pio consilio miserunt.

Id accidit Sanctitati Suae, uti facile intelliges, perquam gratum acceptumque, cum nihil, pro apostolico munere, magis curare debeat quam christiani nominis incrementum.

Magnas igitur grates persolvit Augustus Pontifex cum tibi tum oblatores singulis de hoc religionis amore; atque amplissimam a Deo implorans remunerationem, in huius auspiciis itemque in paternae benevolentiae testimonium, Apostolicam Benedictionem tibi et omnibus offerentibus effuso animo impertit.

Ego autem libenter occasione utor sensus estimationis maximae erga te meae confirmandi, quibus sum

Amplitudini Tuae Addictissimus

P. C. Gasparri.

14.

Zahvala svetega očeta Pija XI. za božični in novoletni pozdrav ter za Petrov novčič.

Dne 12. decembra 1922 se je poslalo svetemu očetu Piju XI. naslednje pozdravno pismo k božičnim praznikom in k novemu letu 1923:

Beatissime ac Sanctissime Pater!

Fideles dioecesis Lavantinae, nunc temporis Pastore suo orbatae, christicolae Summum Pontificem tamquam Christi in terris Vicarium, orbis Catholici Patrem communem totiusque generis humani Benefactorem eximium numquam non filiali cordis affectu venerabantur.

Itaque in Tuam Sanctitatem, quippe quae inde ab sublimem in sedem Apostolicam elevatione, continuando Praedecessoris piae memoriae opera pacis, non desiit, quidquid firmandae fidei Christi et attrahendis etiam exterorum animis ad Ecclesiam catholicam inservire possit, verbo et opere promovere, oculi omnium convertuntur, cunctique Deum optimum maximum pie

precantur, ut Beatissimum Patrem sospitem et incolumem conservet Eique supernum ad munia apostolica obeunda auxilium praebeat.

Votorum huiusmodi et precum cleri populi Lavantini interpres humillime infrascriptus Vicarius Capitularis appropinquantibus Domini Natalitiis annique Auspiciis ea una cum oblationibus caritatis pro obolo S. Petri anno 1922 id dioecesi collectis ad Thronum Tuae Sanctitatis substernere audeo, reverenter petens, quatenus Sanctissimus Pater utraque gratiosissime excipere, nobis vero Benedictionem Apostolicam benignissime impertire dignetur.

Ad pedes Summi Pontificis provolutus

Sanctitati Tuae

obedientissimus ac devotissimus famulus et filius

M. Matek,

vicarius capitularis.

Maribori ad flumen Dravum, die 5. infra Octavam festi Immaculatae Conceptionis B.M.V. 12. Decembris 1922.

[In adnexu 71.000 Coronarum uti obolus S. Petri.]

Pismu je bila priložena miloščina, nabrana v Lavantinski škofiji leta 1922 za potreščine Apostolskega sedeža.

Kot odgovor na pozdrav je prejel gospod kapiteljski vikar dne 26. decembra 1922 od apostolske nunciature v Belgradu to-le pismo:

Nonciature Apostolique Belgrade.

N. 654.

Belgradi, die 23. Decembris 1922.

Illustrissime ac Reverendissime Domine!

Accepi, prouti litteris tuis Maribori datis die 12. Decembris 1922, n. 4008, nunciabatur, summam Denariorum 17.750 pro Obolo Sancti Petri, quam Sancto Patri simul cum epistola tua transmittam.

Mihi pergratum est hanc arripere occasionem ut tibi fausta omnia adprecer a dulcissimo Infante Iesu, qui cum in forma Dei esset semetipsum exinanivit formam servi accipiens ut nos a servitute liberaret.

Utinam tu et tota dioecesis tua et totum regnum, et omnes quotquot sumus fideles aliquando vera christiana pace fruamur!

Ores pro me meque habeas

addictissimum in Domino

† **Hermenegildum Pellegrinetti**, Nunt. Ap.

Iz Rima pa je došel dne 9. februarja 1923 ta-le ljubeznivi dopis:

Segreteria di stato di Sua Santità.
N. 13.308.

Ex Aedibus Vaticanis, die 30. Ianuarii 1923.

Reverendissime Domine!

Tua et istius Dioecesis fidelium fausta omina et vota, quae, D. N. I. Ch. redeunte Natali, pietatis et observantiae causa expromere voluisti, *Summus Pontifex* grato libentique animo accepit; eo magis quod Deum Puerum in cunabulis iacentem vos omnes enixis precibus obsecratos pollicebaris, ut pia *Sanctitatis Suae* desideria in Dei gloriam et omnium populorum bonum adimpleantur.

Non minus autem solacii praebuilt *Sanctissimo Patri* Petriana stips Cor. 71.000, in ista Dioecesi corrogata, et a te eo pio consilio missa, ut tot tamque magna religionis et caritatis opera sustententur, et catholica res ubique terrarum provehatur.

Quapropter debitas grates tibi, ceterisque piis oblatores *Augustus Pontifex* persolvit, et felicissima quaeque mutua dilectionis vice rependens, in caelestium munerum auspiciis et benevolentiae Suae pignus Apostolicam Benedictionem vobis omnibus effuso animo impertit.

Hanc nactus occasionem existimationis meae sensa tibi testor meque profiteor

Amplitudini Tuae Addictissimum

P. C. Gasparri.

Reverendissimo Domino Dno. Martino Matek
Lavantinae Dioecesis Vicario Capitulari.

15.

Pontificia Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos.

Dubia, soluta in plenariis comitis eminentissimorum Patrum.¹

I. De acquisitione domicilii (can. 93).

Utrum uxor, a viro malitiose deserta, possit, ad normam can. 93, § 2, obtinere proprium ac distinctum domicilium.

Resp. Negative, nisi a iudice ecclesiastico obtinerit separationem perpetuam, aut ad tempus indefinitum

II. De obligationibus clericorum (cann. 130, 590).

1. Utrum parochi vel vicarii curati religiosi examen, de quo in can. 130, § 1. subire teneantur coram Ordinario eiusve delegato, si coram Superiore religioso eiusve delegatis examen subierint, de quo in can. 590.

Et quatenus negative:

2. Utrum in casu negligentiae Superiorum religiosorum circa examen, de quo in cit. can. 590, Ordinarius loci cogere possit religiosos istos ut examen, ad normam cit. can. 130, § 1, coram se suisve delegatis subeant.

Resp. Ad 1. Negative.

Ad 2. Recurrendum esse in casu ad S. C. de Religiosis.

III. De amissione officiorum ecclesiasticorum (cann. 189, 191).

1. Utrum, ad normam can. 189, § 2, Ordinarius renuntiationem valide acceptare possit, elapso iam in-

tegro mense a renuntiatione facta, quin nova interceserit resignatio.

Resp. Affirmative, nisi resignatarius ante acceptationem renuntiationis, renuntiationem Ordinario exhibitam revocaverit, et revocationem Ordinario significaverit.

2. Utrum, ad normam can. 191, § 1, resignans renuntiationem revocare valeat ante acceptationem.

Resp. Affirmative.

IV. De parochis (can. 460).

1. Utrum can. 460, § 2, applicetur dumtaxat ad paroecias erigendas post promulgationem Codicis; an etiam ad paroecias iam erectas.

Et quatenus negative ad 1^{am} partem, affirmative ad 2^{am}:

2. Utrum idem canonis praescriptum applicetur etiam paroeciis, in quibus pluralitas parochorum inducta est non consuetudine aut privilegio, sed legitimo statuto.

Et quatenus affirmative:

3. Utrum iura iam quaesita parochis, ut aiunt, proportionariis seu cumulativis, integra manean tum

¹ Acta Apostolicae Sedis. An. XIV. Vol. XIV. Romae, 31. Augusti 1922. Num. 14. pag. 526 sq.

quoad spiritualia, tum quoad temporalia; an vero revo-centur etiam quoad temporalia.

Et quatenus negative ad 1^{am} partem, affirmative ad 2^{am}:

4. Utrum cura animarum principalis et unica tri-buenda sit parochi qui praeeminentiam honoris habeat prae aliis; an vero antiquiori possessione.

Resp. Ad 1. Negative ad 1^{am} partem; affirmative ad 2^{am}.

Ad 2. Affirmative.

Ad 3. et 4. Provisum in praecedentibus; pro appli-catione vero canonis ad hos casus particulares recur-rendum esse ad S. C. Concilii.

V. De vicariis substitutis et suppletibus quoad assistentiam matrimonii (can. 465, §§ 4 et 5).

1. Utrum vicarius substitutus, de quo in can. 465, § 4, possit post Ordinarii approbationem licite et valide assistere matrimoniis, si nulla limitatio appositae fuerit.

2. Utrum idem vicarius id possit etiam ante Or-dinarii approbationem.

3. Utrum idem vicarius parochi religiosi id possit post approbationem Ordinarii, sed ante approbationem Superioris religiosi.

4. Utrum vicarius, seu sacerdos supplens, de quo in cit. can. 465, § 5, id possit ante approbationem Or-dinarii.

Resp. Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Negative.

Ad 3. Affirmative.

Ad 4. Affirmative, quoadusque Ordinarius, cui significata fuit designatio sacerdotis supplentis, aliter non statuerit.

VI. De vicariis oeconomis quoad applicationem Missae pro populo (cann. 466, 473).

Utrum vicarius oekonomus, qui plures paroeccias tempore vacationis regit, unam tantum debeat Missam pro populis sibi commissis diebus praescriptis applicare.

Resp. Affirmative, ad normam can. 473, § 1, collati cum can. 466, § 2.

VII. De transitu ad aliam religionem (can. 634).

Utrum suffragium Capituli in admittendo religioso, de quo in can. 634, ad professionem sollemnem aut simplicem perpetuam, habeat vim deliberativam; an tantum consultivam.

Resp. Affirmative ad 1^{am} partem; negative ad 2^{am}.

VIII. De collati baptismi adnotatione (can. 777).

An verbum *illegitimi* canonis 777, § 2, omnes omnino comprehendat illegitime natos, etiam adulteri-nos, sacrilegos, ceterosque spurios, ita ut liceat paren-tum ipsorum cognomina inscribere in adnotatione col-lati baptismi.

Resp. Nomina parentum ita inserenda esse, ut omnis infamiae vitetur occasio: in casibus vero parti-cularibus recurrendum esse ad S. C. Concilii.

IX. De irregularitatibus aliisve impedimentis (can. 987).

Utrum nomine *filiorum*, de quibus in can. 987, n. 1, intelligendi sint tantum descendentes in linea pa-terna usque ad primum gradum.

Resp. Affirmative.

X. De custodia ac cultu sanctissimae Eucharistiae (can. 1274).

Utrum ecclesiae, in quibus, ad normam can. 1274, § 1, sine Ordinarii licentia fieri potest expositio publica seu cum ostensorio die festo Corporis Christi et infra octavam inter Missarum sollemnia et ad Vesperas, sint illae tantum quibus datum est asservare sanctissimam Eucharistiam.

Resp. Affirmative, firmo praescripto can. 1171.

XI. De reductione onerum Missarum (cann. 1517 et 1551).

Utrum Ordinarius, ad normam can. 1517 et can. 1551, ob imminutos redditus, onera missarum reducere valeat, si id in tabulis fundationum expresse caveatur.

Resp. Affirmative.

XII. De foro competenti (can. 1565).

Utrum, ad normam can. 1565, § 1, pars ratione contractus conveniri possit coram Ordinario loci, in quo contractus initus est vel adimpleri debet, etiamsi e loco discesserit.

Resp. Negative, salvo praescripto § 2 citati canonis.

XIII. De sententia (cann. 1874 et 1894).

Utrum, ad normam can. 1874, § 5, et can. 1894, n. 3, nullitatis vitio laboret sententia lata a tribunali collegiali, et subscripta tantum a praeside tribunalis et notario.

Resp. Affirmative.

XIV. De foro competenti in causis matrimonialibus (can. 1964).

1. Utrum uxor, a viro malitiose deserta, eum in causa matrimoniali, ad normam can. 1964, convenire possit coram Ordinario proprii ac distincti quasi-domi-cilii; an vero convenire debeat coram Ordinario do-micilii vel quasi-domicilii viri.

Resp. Negative ad 1^{am} partem; affirmative ad 2^{am}.

2. Utrum actrix catholica, a viro non legitime separata, quae proprium ac distinctum quasi-domicilium habet, virum acatholicum in causa matrimoniali, ad normam can. 1964, convenire possit tantum coram Or-dinario proprii ac distincti quasi-domicilii; an vero etiam coram Ordinario domicilii viri.

Resp. Cum uxor in casu habeat proprium ac di-stinctum quasi-domicilium, et sequatur domicilium viri, potest virum convenire coram alterutro Ordinario.

XV. De subiecto coactivae potestati obnoxio (can. 2233).

Utrum, ad normam can. 2233, § 2, ob violationem praecepti peculiaris, quod communium erat censura ferendae sententiae, statim post delictum comprobatum censura infligi possit; an vero praemittenda sit nova monitio.

Resp. Affirmative ad 1^{am} partem; negative ad 2^{am}.

Romae, 14. Iulii 1922.

P. Card. Gasparri, Praeses.

Aloisius Sincero, Secretarius.

Škofijske takse.

Na tuuradno prošnjo z dne 28. septembra 1922 štev. 3148 zadevi škofijskih taks je došel dne 8. februarja 1923 iz Rima naslednji reskript.

Prot. N. 4397/22

Sacra Congregatio Concilii.

Beatissime Pater! Ordinarius Lavantinus humiliter petit a S. V. approbationem adnexi elenchi taxarum curialium.

Sacra Congregatio Concilii, attentis expositis, benigne concessit approbationem adnexi elenchi taxarum per quinquennium ad experimentum et usque dum in proximo conventu Episcoporum Regionis commune schema taxarum conficiatur; cauto tamen ut pro pauperibus, praesertim in rebus matrimonialibus taxae ipsae aut reducantur pro viribus, aut ex integro remittantur.

Datum Romae, die 16. Ianuarii 1923.

D. Card. Sbarretti, *Praefectus*.

B. Colombi, *Secretarius*.

Ordo taxarum Curiae episcopalis Lavantinae.

I. Pro rescriptis gratiosis.

1. In causa abstinenciae Din. 3—
2. In causa benedictionis solemnis cuiuscumque loci vel rei " 3—
3. Pro benedictione campanae vel ecclesiae " 10—
4. Pro legalizatione documenti " 3—
5. Pro exscriptione documenti in commodum personae privatae et quidem pro singulis paginis " 2—
6. Pro quacumque licentia in commodum personae privatae ratione habita facultatum oratorum Din. 1—10—

II. Pro litteris dispensationis in re matrimoniali.

7. Ab impedimentis minoris gradus quae dispensantur ab Ordinario vel vi facultatum vel ex iure (praeter taxam Sedi Ap. solvendam) Din. 5—
8. Ab impedimento maioris gradus (praeter taxam Sedi Ap. solvendam) " 10—
9. a) Ab una proclamatione " 2—
- b) A duabus proclamationibus " 4—
- c) A tribus proclamationibus " 6—
10. Pro concessione solemnis nuptiarum benedictionis tempore clauso et nuptiarum horis pomeridianis " 4—

III. Pro variis testimoniis et documentis.

11. Pro litteris dispensationis a Sede Apostolica commissis Din. 5—
12. Pro testimonio de erecta confraternitate " 3—
13. Pro documento erectionis confraternitatis " 5—

14. Pro litteris testimonialibus de consecratione altaris Din. 15—
15. Pro theca reliquiarum et pro portatili altaris praeter pretium materiale thecae vel portatilis " 5—
16. Pro documento consecrationis ecclesiae " 25—
17. pro documento licentiae missas celebrandi in capellis etc. " 5—
18. Pro ratificatione foundationis e. g. missae, beneficii " 10—
19. Pro documento reductionis foundationum D 5—10—
20. Pro approbatione contractuum locationum Din. 5—
21. Pro approbatione alicuius contractus emptionis vel venditionis taxa, quae aequivalet 1% pretii accepti vel soluti a quocumque ente ecclesiastico, quae taxa si non solvatur ab emptore, partim vel tota possit expendi e peculio respectivi entis ecclesiastici " —
22. Pro revisione rationum annualium cuiuscumque entis ecclesiastici licet Ordinario etiam in posterum sicut hucusque exigere aliquam modicam taxam in favorem Cancellariae episcopalis " —
23. Pro litteris commendatitiis et dimissorialibus " 3—
24. Pro documento cuiuscumque suscepti ordinis " 3—
25. Pro documento iurisdictionis " 5—
26. Pro documento de examine concursus paroecialis " 5—
27. Pro documento dispensationis ab examine concursus paroecialis " 5—
28. Pro documento missionis canonicae pro scholis inferioribus " 20—
29. Pro documento missionis canonicae pro scholis mediis et pro professione theologica " 30—
30. Pro documento collationis beneficii simplicis (cooperator, vicarius paroecialis) " 5—
31. Pro documento collationis beneficii et investiturae " 30—
32. Pro collatione officii decanalis " 10—
33. Pro litteris nominationis consiliarii episcopalis " 25—
34. Pro litteris nominationis consiliarii consistorialis " 40—
35. Pro documento collationis et investiturae canonici Cathedralis sive actualis sive honoris causa " 50—
36. Pro documento collationis et investiturae dignitatum Capituli Cathedralis et aliarum dignitatum " 60—

Kn. šk. Lavantinski konzistorij v Mariboru,

dne 1. marca 1923.

Martin Matek,

doctor rom. in iure canonico,
ravnatelj pisarne.